ALBERTI RITTER
REGII LYCEI ILFELDIACI COLLEGAE
LVCVBRATIVNCVLA
DE
ALABASTRIS HOHNSTEINENSIBVS NONNVLLISQVE ALIIS EIVSDEM LOCI REBVS NATVRALIBVS
EXARATA
AD
EXPERIENTISSIMVM AMPLISSIMVMQVE
VIRVM
FRANC. ERN. BRVCKMANN
DOCTOREM MEDICINAE EIVSDEMQVE
PRACTICVM WOLFFENBVTTELENSEM
CELEBERRIMVM
ACADEM. CAES. NAT. CVRIOS.
VT ET SOCIET. REGIO-PRVSS. SCIENT.
COLLEGAM MERITISSIMVM
FAVTOREM AC AMICVM
HONORATISSIMVM
AMANTISSIMVM.

A. R. S. cIↄ Iↄ cc xxxi.
HALÆ.

B. C. D.

§. I.

Diu equidem, multumque apud me perpendi, an recoquerem praesens argumentum de ALABASTRIS, ab aliis iam agitatum, et passim descriptum; sed impulsus ad scribendum rogatu, hortatuque TVO, Doctissime BRVCKMANN, Amice honoratissime, iucundissime, iterum iterumque litteris ea propter lacessitus, et nuper demum coram, quum TE, TVOSque mihi quam dilectissimos, Wolffenbuttelae inuiserem, inter perlustrationem Technophylacii TVI instructissimi admonitus, TIBI tandem pro voto TVO facere satis, mearum esse partium duxi; eoque lubentius iam nunc hocce amicitiae officium in me sumsi, quando cogitaui cum animo illud peruulgatum, mutatis hisce verbis:

Tempora mutantur, et res mutantur cum ipsis.

§. II.

Τὸ αλαβαςρον, vel ο αλαβαςρος nomen est graece originis; latini idem retinuerunt, addicta modo terminatione latina, alabastrum, vel alabaster: sic adpellatur, vel quasi ου λαβεσθαι, prehendere, propter laeuorem sit αδυνατον, vel δια το μη λαβας εχειν, quod ansas non habeat. Erat autem alabastrum vasis vnguentarii genus longitudine fastigiata, in pleniorem orbem desinens; vel

forma turbinata sine anſulis. Huius tam apud scriptores profanos, vti scribit Martialis:

Quod Cosmi redolent alabaſtra focique deorum:

quam apud scriptores sacros frequens fit mentio; legimus enim in ipsa historia euangelica: Προσηλθεν Ιησου γυνη αλαβαστρον μυρου εχουσα βαρυτιμου, accessit ad Iesum mulier, alabastrum vnguenti habens pretiosi. Vox vero alabastrum non modo denotat vas vnguentarium, sed etiam ipsum αλαβαστριτην, lapidem alabastritem.

§. III.

Vix incongrue alabastro nomen quoque generale marmor inditur, propter nitorem, vel splendorem, ex graeca voce μαιρω, luceo, μαρμαρω, μαρμαιρω, resplendeo, vnde μαρμαρος, candidus, et το μαρμαρον, marmor; quare Kircherus non sine ratione inquit: omnes lapides, qui duri, laeues, splendidi, et coloribus depicti sunt, marmora vocantur.

§. IIII.

Ne vero nomen alabastrum lectorem in lectione in errorem quendam ducat, sciendum, olim huius nominis nobile in Aegypto fuisse oppidum, sic appellatum a lapide alabastro, qui in vicinis montibus caedebatur, et ab artificibus oppidi magna copia in varia vasa tornabatur aptabaturque, hinc nomen oppiduli enatum erat.

§. V.

Το αλαβαστρον, ο αλαβαστρος Graecis, alabastrum, alabaster, alabastrites, Latinis, Alabaſter/ vel vt vulgus plerumque pronuntiat Alabaſſer Germanis, est lapis mollis, ex terra viscosa, pingui concretus, variis saepe coloribus mixtus, vt hoc modo solum differat a marmore, ratione duritiei, vel substantiae durioris.

§. VI.

§. VI.

Recte ad lapides, et quidem nobiliores refertur alabastrum, constat enim ex subtilissimis particulis sabulosis, puris, glutinosis, ab initio fluidis propter aquam, et succum viscosum salino-acidum intermistum, hoc autem exsiccato vel igne subterraneo, vel accedente, prementeque aere, vel magis, vel minus arcte compactis, variis coloribus tinctis.

§. VII.

Color alabastri aeque ac aliorum lapidum, gemmarum, terrarumque medicarum, seu sigillatarum exiſtit, partim a varia dispositione pororum, superficierum, in quibus lucis radii vario modo alterantur, partim a particulis fluidis metallicis, vel a vaporibus sulphureis, subterraneis, mineralibus; ita, vt rubedo a particulis martialibus; flauedo a particulis solaribus; color candidus a saturninis plus minus corrosis, aut calcinatis; mixtione vero harum particularum varii alii exoriri facile possint colores.

§. VIII.

Alabastri porro vsus est praestantissimus, et quidem

1.) medicus, externus magis, quam internus, componitur enim vnguentum alabastrinum aduersus capitis dolores; item alabastrites vstus, resina vel pice exceptus, duritias discutit; cera vero exceptus, ventriculi dolores mitigat; sine his gingiuas reprimit; cum sale fossili gravitates oris, et dentium extenuat; it. cataplasma hypnoticum. vid. Hoffmanni Thesaur. pharmaceut.

2.) inprimis mechanicus, quum ex alabastro duriori exstruantur tota aedificia, portae, propylaea, scalae, pauimenta, columnae, suggesta, baptisteria, altaria, monumenta sepulcralia, camini, statuae: varia vtensilia, mensae nimirum, candelabra, vrcei, lagenae, salina, cetera: inseruit quoque scriniariis, artem callentibus, ad opera variegata, furnirter Arbeit/ vt hoc

modo conficiantur scriniola, mensae, alia, visui certe gratissima: non minus alabastro insculpi possunt totae historiae, resque aliae, sic ipse adseruo in meo technophylacio typum elegantissimum modi muniendi Voboniani, Vaubans beveſtigungs manier, forma quadrata, cuius vnum latus pedum duorum et quadrantis longum, a quodam amico accurate, affabre, operose scalpro caelatum: Praeterea ex hoc lapide vascula varia ludicra, crepundia fabricantur partim, partim tornantur, quibus exornamus conclauia, scrinia, caminos, repositoria parua, Tablette, reliqua.

3.) Denique alabastrum vritur in calcem tenerrimam, vti gypsum, ex qua dein parantur proplasmata, Forme/ ad efformandas res varias, et transfundendas icones, numismata, quae res in vulgum nota.

Addimus hic curiosam obseruationem de alabastro nostro albo eandem, quam Boyle Histor. fluidit. sect. 18. de Parisiensi adnotauit; scilicet alabastrum in puluerem contritum immittitur ollae, vel catino ferreo, aheneo, etiam argillaceo, nulla adfusa aqua, igni admouetur, et incipit instar aquae praeferuidae efferuescere, bullulare, multos vapores emittere, immo liquefieri, vt possit fundi.

Similiter reperimus in alabastro, rarius quamuis, vti in lapidibus quibusdam aliis, terram quandam pinguem, cauitate aliqua interclusam, leuem tamen, et quasi mediam inter argillam, et cretam, communiter dicitur Steinmarck; nec dubitans adfirmo, quin huic insit maior efficacia medendi, quam ipsi lapidi.

§. VIIII.

Multum quidem de alabastri differentia ratione bonitatis, coloris, splendoris, laeuitatis, subtilitatis, varietatis, formae, quantitatis, loci natalis possem disserere, sed lubens his supersedeo, ne

ne *lectori beneuolo* nimia prolixitate nauseam quandam creem, quum breuitas delectet. Attamen haec omnia planius pleniusque facile aperta erunt omnibus ex mox insequenti marmorum Hohnsteinensium descriptione, quos multis aliis, in variis Europae terris erutis marmoribus propter duritiem, colores, nitorem, pulcritudinem, facillime palmam praeripere, certo scio; id quod etiam inde nobis apparet. quando in regiones abhinc remotissimas, Bohemiam, Silesiam, Hollandiam, vti quoque in quamplurimas Germaniae partes, archiepiscopatum Moguntinum, et coloniensem, episcopatum Bambergensem, Wurtzburgicum, Leodiensem, Monasteriensem, Paderbornensem, in terras Saxonicas, Brunsuicenses, Brandenburgicas reliqua, maximo saepius pondere transportantur.

§. X.

Prius vero quam ad rem ipsam me accingo, locum, ubi alabaster noster excaeditur, breuibus modo descripturus; is est Comitatus Hohnsteinensis in Landgrauiatu Thuringiae, ad radices Hercyniae siluae, non totius Germaniae solum, sed etiam totius Europae famigeratissimae, situs, confinis terris Grubenhagensibus, Eichsfeldicis, Schwartzburgicis, Stolbergensibus, Brunsuicensibus; his nostris temporibus maxima ex parte Principatui Halberstadensi subiectus, ac feudum a viris vacuum, vltimus enim comes Ernestus VII. simul Administrator monasterii Walckenredensis, fama et schola olim celeberrimi, in cuius aede sacra quoque corpus quiescit, domus suae antiquissimae, famigeratissimae, anno CIↃ IↃ LXXXXIII. fecit finem: altera pars huius Comitatus, nempe praefectura Neostadiensis, tamquam feudum Brunsuico-Hannoueranum, paret Celsissimis Comitibus Stolbergensibus, qua in adhuc arx montana vetustissima, ante Caroli Magni tempora iam condita, quamquam alii eius fundationem Conrado filio Ludouici Barbati Landgrauii Thuringiae adscribant, annumque fundationis CIↃ LXI. ponant, *Hohnstein*, domus natalis Comitum Hohnsteinensium extinctorum, prope oppidulum Neüſtadt / ideo cognominatum am Hohnſtein / prostrata et diruta ante oculos nostros iacet, triste monumentum belli

Teuto-

Teutonici, quo praefectus militum Saxonicus, nominatim de Vitzdum, flammis illam circumdederat, et quo minus eae opprimerentur, ab armatis viris inhiberi iusserat. Haec regio Hohnsteinensis profert frumenta quaeque, pascua habet pinguia, superbit siluis amenissimis, vtilissimis; sunt in illa piscinae plurimae, ex quibus notissima der Schiedunger Teich / hanc quoque ob caussam notabilis, quia in huius aggere Ernestus Comes de Hohnstein rusticis suis rebellibus huc conuocatis CIƆ IƆ XXV. dedit veniam atque impunitatem, etsi quidam nobiles interrogati consilium dedissent, vt omnes dicta piscina submergerentur; item labes piscibus abundantes; fertilis quoque cupri, inprimis ferri; per eam labuntur Helma, Zorga, Baera flumina. Fractus montium ab oriente versus occidentem, vix semel, iterumque valle quadam interruptus, nunc est per totum hunc Comitatum, ex quibus lapides calcarii, gypsum, alabastrum, maxima copia caeduntur, vltimum vero iam describendum adgredimur.

§. XI.

Initium itaque facimus huius descriptionis secundum situm naturalem ab *Alabastro nigro*, quod eruitur versus orientem ad pagum Steyerthal / ditionis Stolbergensis; valde durum, plerumque taeniis albis subtilibus intermixtuw, iucundum oculis, inprimis quando artifex artem suam decenter adhibet. Praecipuus illius vsus est in monumentis sepulcralibus exstruendis, et tunc scriptura insculpitur alba, etiam ad alias sumitur exornationes. In hoc ipso alabastro nigro interdum a lapicidis offenditur stratum quoddam glaciei Mariae, siue spati; exinde parantur tabulae mensarum elegantissimae, quas procul argenteas putes, paries enim niger remittit radios lucis incidentes, qui partim ob spati obliquitatem, partim ob spati varias fissuras, vario modo fracti oculo nostro iucundos iridis colores repraesentant; hae tabulae spaticae quoque obducuntur, vel satiantur vernice flauo, et tunc nobis adparent quasi aureae, visui gratissimae. Sed notamus hac occasione, in omnibus alabastris Hohnsteinensibus vel tota strata, vel ad minimum particulas, modo maiores, modo minores, spati reperiri, quae laeuigatae, et po-

litae

litae ſplendorem remittunt gratum. Eodem loco eruitur *alabaſtrum* durum, et *album*, *taeniis cinereis*, communiter auditur der Nußholtzſtein/ ſic adpellatum non tam propter ſimilitudinem coloris, quam propter varios ductus, ſeu venas. Caeditur quoque heic alabaſter caeſius, quaſi tabularis, in Blatten/ craſſitie trium ad quindecim vſque pollicum, ad altaria, epitaphia aptiſſimus. Adiungimus his curioſitatis gratia alabaſtrites adhuc duos, eodem loco reperiendos, nempe *alabaſtritem lucido-cinereum*, tabularem et friabilem, maculis nigris, modo maioribus, modo minoribus, inſignitum, hinc non incongrue der Tiegerſtein dici poſſet; item alabaſtritem, potius *ſpatum caeſium* albo permixtum, quod *ſolare* dicere liceat, quia in eius ſuperficie tamquam ſoles minores, vnus iuxta alium, adparent, cum ſpati particulae graciles, et oblongae, ſine politura editae, in orbem ita ſint diſpoſitae, vt verſus centrum dein coeant; hi ſoles, lumine ſolari illuminati, adſpectu ſunt iucundi.

Non immerito huc referemus, ſupra enim commemoratus montium tractus ibi finitur, pagum confinem limitibus Hohnſteinenſibus Uftrungen/ vbi excaeditur *alabaſtrum rubrum* elegantiſſimum, *maculis ſubrubris*, *albis*, *cinereis*, *etiam particulis ſpateis intermiſtum*, ad varias operas ſculptorias aptandum.

§. XII.

Sequitur pagus Petersdorff/ ad quem effoditur alabaſter, qui venit ſub nomine der Landchartenſtein/ repraeſentat enim quaſi mappam hydrographicam venis ſuis; color eius ſubalbidus cum lineis vel lucido - vel obſcuro - cinereis, vel maioribus, vel minoribus, vel etiam minimis, ſe inuicem interſecantibus. Semimilliare abhinc ſiti ſunt pagi Rüdigesdorff/ et Grümderode/ in quo vltimo nobiles de Wurmb ſuas habent poſſeſſiones, vbi inuenitur alabaſtrum molle, friabile, albo-cinereum, vel caeſium, cuius ſtrata, quae vtplurimum vices permutant, ſunt flammea, inſtar texti ſerici vndulati, interdum rectilinea, et vix craſſitiei torſi cultri adaequantia; cui ob ſimilitudinem nomen impoſitum der Cyper Katzenſtein. Simile alabaſtrum reperitur ad pagum Steyerthal/ inſuper et albis, et nigris punctis notatum.

§. XIII.

Porro pagum Harzungen ordo tangit, ſitum prope oppidulum

Neuſtadt am Hohnſtein / cuius filia est, versus meridiem huius in medio agro ad montem eruitur admodum durum alabastrum album venis subcinereis, quae in statuis ex illo confectis possunt referre venas in corpore humano sanguiferas. Hoc alabastrum praecipuum erit, ex quo fiunt statuae, monumenta cum insculpta scriptura nigra, camini, multaque praeterea alia; excaeditur vero id saepius ea magnitudine, vt, si pondus eius ad stateram exigatur, sit centenaria quinquaginta, et vltra. In hoc quoque alabastro interdum offenditur stratum spati albi, hinc, quando laeuigatur, et politur, non aliter nobis videtur, ac si floccis niuis glaciatis esset obductum.

§. XIIII.

Denique peruenimus ad pagum Wiegersdorff / ditionis Stolbergensis, versus meridiem huius, ex sic dicto Ochſenloch effoditur alabastrum lucido-cinereum, interdum albissimum, cum taeniis lucido-etiam obscuro-cinereis, elegantissimum, durissimum, vt marmori proxime accedat, et idem est, quod iam supra descripsimus, et nominauimus den Landchartenſtein; huic nostro Wiegersdorffiensi nomen inditum der Schönemädgenſtein / sine dubio propter puclritudinem eius, amenitatemque; non vero ea propter, vti vulgus fabulose circumfert, ac si in illo olim virgo a natura ipsa efficta, et delineata sit reperta, hoc credat iudaeus Apella. Dolemus modo, quod hoc nitidissimum alabastrum propter fissuras frequentes facile dilabatur in partes minores, et ideo ad operas statuarias, scriniarias, tornatorias minores solummodo adhibeatur. Ex hoc alabastro fieri curaui vasa parua ad sorbendam theam, thetassen, oculis gratissima, quamprimum vero aqua feruida est infusa, statim sunt diffracta.

§. XV.

Nunc ingredimur Comitatus Hohnsteinensis ditionem Brandenburgicam, et statim pedem figimus in oppido murato, eiusque primario, Elrich / adiacente fluuio Zorgae; quod praeterlapso anno CIↃ IↃ CC XXX. grauissime et miserrime adflictum est, quum pharmacopolium huius primarium fulmine ictum, statimque incensum, propter ventum horrendum flamma correptum, vt paruo temporis spatio

spatio plus triginta aedificia sint conſumta. Versus meridiem huius oppidi iacet mons der Cammer-Forſt / ex quo habemus *alabaſtrum albicans*, *paruulis maculis cinereis* ornatum.

Hic modo indicare lubet, etiam in agris ad finitimum huic oppidulum Bleicherode reperiri *alabaſtrum calore rufo*, *albo*, *ſparſim intermixto*, nitidiſſimum; ad pagum Sollſtädt *alabaſtrum diſcolor*, *maculis*, *et cinereis*, *et rubris*, *et albis*; item *alabaſtrum album maculis nigrantibus*; in monte der Kohnſtein appellato *alabaſtrum albo-cinereum*; ad pagum Hörningen/ et in vicino monte, der Sattelkopf dicto, idem alabaſtrites, quem ſupra deſcripſimus ſub nomine der Landchartenſtein/ vel der Schönemädgenſtein; raro enim eruuntur, et in aliquem vſum ex ignorantia conuertuntur, quamquam ſunt elegantiſſima alabaſtra.

§. XVI.

Horam vix vnicam ab oppido Ellrich ſitum eſt monaſterium perantiquum Walckenried/ quod hoc noſtro tempore Ducibus Wolffenbuttelenſibus paret; ad hoc effoditur *alabaſtrum* duriſſimum vix diſſimile marmori duritie, hinc aegre quoque poteſt tractari; eſt autem *virgatum colore albo*, *magis cinereo* vel lucido, vel obſcuro, ita tamen, vt hae virgae iterum tranſuerſis, modo albis, modo cinereis, ſint interſectae; interdum elucent maculae albae maiores, quae hanc, illamue figuram formare videntur.

§. XVII.

Ad extremitatem Comitatus Hohnſteinenſis iacet pagus Tettenborn, qui nomen dat nobili generi de Tettenborn, et in quo bona paterna et auida habet; huius occidentem verſus in dem Knick / vti vocatur, ex ipſis finibus Brandenburgico-Hannoueranis adfertur *alabaſtrum album*, ipſa niue candidius, *lineolis cinereis pallidiſſimis*, interdum plane nullis intermixtum, ſubtiliſſimum, molliſſimum, quare in tempeſtate nequaquam durat, ad varias ceterum operas, ex illo conficiendas, apprime aptum ac accommodatum. Hoc ex marmore vidi ſtatuam, Chriſti effigiem in cruce figurantem cum matre Chriſti cruci adſtante, et diſcipulo Ioanne, in figuratum mon-

tem infixam, a quodam artifice Northusano, qui artem suam statuariam adprime callet, exsculptam; certe excellens et mirabile opus.

§. XVIII.

Noli vero putare, *Celeberrime Bruckmann*, haec omnia Alabastrorum Hohnsteinensium genera esse; essent adhuc longe alia, quae tamen lubens sciensque iam praetermitto, quia paucissimis nota, nec vlli forsan artifici vsui veniunt; Tibi quoque nimia prolixitate grauem esse, et patientia Tua abuti nefas duco.

§. XVIIII.

Attamen, Fautor honoratissime, pro Tua curiositate laudabili dabis mihi, priusquam huic lucubratiunculae de Alabastris Hohnsteinensibus plane colophonem addo, vt illi annectam descriptionem breuem quorundam curiosorum Hohnsteinensium, credo namque, me in hoc eo minus aberraturum a meo proposito, quum alabastri ipsi ad studium curiosum, siue naturale sint referendi.

§. XX.

Primum vero inter curiositates Hohnsteinenses merito occupabit locum *Dendrites*, tam elegans, vt plane dubitem, an talis ab vllo vsquam sit visus, neque etiam facile inuenies, quod in technophylaciorum descriptionibus similis mentio sit facta; quare operae pretium esse censui, illius portionis, quam habeo, magnique facio, pleniorem heic Tibi formare descriptionem. Lapis est fissilis ex fodina aeraria, proxima monasterio Walckenried / quae iam inculta iacet, cuius lamina tantae sunt gracilitatis, vt vix folio papyri crassitie adaequent; color est cinereus, arbusculi vero et fruticeta quasi depicti forma diminuta, miniatur-arbeit / nigricantes, qui
Fig. I. videntur adhaerere montibus, rupibus, ripis; quod vero res est, caelum adparet demissum et nubilosum, et nubes ibi adspiciuntur, ac si penicillo illuminatae viuis coloribus, flauis, rutilis, subrubris, nigro quasi conditis: et vt verbo dicam; nihil perfectius oculis nostris proponi potest: colores eius tam iucundi, viui ac pulcri sunt, vt nihil differant ab iis coloribus, quibus ab occidente sole caelum depictum esse, nonnumquam videmus. Alterum huius dendritis latus secundum artem pictoriam coloribus viuis, rubris, et subrubicundis, quasi vmbris distinctis, repraesentat speluncam in mon-

te

te profundam, apertam, arbusculis, fruticetis ornato, caeli autem repraesentatio est inibi sine nubeculis. Vir fide dignus, a quo lapidem iam descriptum accepi, mihi affirmauit, se vidisse talem dendritem delineatum ex eadem fodina, in quo simul adparuisset piscis maculis rubris, instar variolarum, quod spectaculum omnium omnino oculos ad se traxisset.

§. XXI.

Hunc excipit *lapis* dictus *casearius* Käſeſtein / exactissime enim repraesentat formam casei rotundi, oblongi, Schaf-Käß / Küh-Käß / maioris, minoris; et nihil aliud est, quam vt communiter adpellatur, eine Steingall / quae in marga ad pagum Werne / vbi liber Baro de Spiegel praedium quaestuosum, belle aedificatum, satisque amenum habet, qua agrarii laetificant agros suos, et tunc marga ab aëre in puluerem dissoluitur, sic dicti casei vero, tamquam substantia duriore, intacti remanent, quos ita vbique in agris offendens frequentiores, etiam in margae fodinis ex ipsa marga, si lubet, poteris excutere. Hi casei lapidei interne cauitatem paruam exhibent haud raro crystallulis exiguis circumcirca a natura exornatam, ein klein Crystallen-Neſt.

§. XXII.

Sequuntur *bini dentes*, haud vulgares non calcinati, nec petrefacti, sed naturales, *Hippopotami*, vti Langius, et ex eo Volckmannus illos nominarunt, et aeri incidi curarunt, quos ipse casu reperi in fluuio Baera, nostrum monasterium Ilfeldam alluente, quum illum tempore aestiuo sicco transirem pede, quos sine dubio imbres in confinibus Hercyniae montibus eluerant, fluuius vero secum huc abstulerat; longitudo eorum est pollices tres et semi, forma vnius est quadrata, cuius latus pollicem habet; alterius oblonga, cuius vnum pollicem, alterum dimidium pollicis habet; quoduis vero latus est excauatum, vel striatum quodammodo.

§. XXIII.

Insuper notamus *conchas lapideas* nitidissimas, quas reperi in colle praecipiti adpellato die Schnabelburg ad syluam dictam der Kohnſtein / proximo vrbi imperiali Northusae, ditionis Brandenburgicae, (die Schnabelburg vero quondam fuit specula quadrata

ex lapidibus lateritiis coctis structa, quantum ex fundamento po-
test colligi, fossa circumdata, cuius vnicum latus viginti pedes est
longum, quae a Northusanis ciuibus, multa mala inde perpessis,
expugnata, et solo adaequata CIↃ CCC LXVI.) etiam in fodinis calca-
riis quamproximis, vel in matrice, lapide calcario, vel extra illam,
quarum quaedam tantae sint exiguitatis, vt non nudo, sed arma-
to oculo videri queant; quando vero lapis malleo dissoluitur, ela-
buntur, ac nucis auellanae nucleus, fracto putamine. Sed harum
obseruaui ex multis centenis, a me collectis, genera quinque: 1.)
frequentiores *conchas anomias* biualues laeues, raro rugosas, vel ma-
Fig. II. iores, tamen vix nucis auellanae magnitudinem superant, vel mi-
nores, vel minimas, lapidi gypseo, tamquam matri inclusas; ple-
rumque candidi sunt coloris, saepius candidissimi; interdum quo-
que coloris cinerei, quae scilicet inclusae lapidi calcario; non mi-
nus offenduntur quaedam, raro quamuis, quae intus cauae, et cry-
stallisatae, quod etiam de reliquis erit notandum, quae conformes
sunt magnitudine, et colore. Gratissimum quid oculis nostris, quan-
do hae conchae quamquam rarissime occurrunt, in superficie line-
Fig. III. is compostitis ramulorum instar pictae, plane vt dendrites. 2.)
Conchas venereas, rariores quidem, nitidissimas tamen; harum ma-
Fig. IV. xima fuit magnitudine iuglandis. 3.) *Gryphites* biualues et vniual-
ues rarissimas, rugosas plerumque, iterdum laeues. 4.) *Conchas*
Fig. V. *bufonias* vel fluuiatiles seu Musculites seu Mytilites biualues, minores,
admodum friabiles. 5.) *Cochleas hortenses*, vel terrestres ordinarias,
minimas, et non adeo frequentes.

Ad radices huius colli in fodinis argillaceis effoditur, etiam im-
bribus, aeque ac conchae in colle, lapidicinis calcareis adiacenti-
Fig. VI. bus, eluitur *lapis Zingiberi*, cuius speciem exacte refert; lapis est
rauus, et durissimus. Mihi est talis Zingiberi dens, cuius protu-
berantiis adhaerent, vel quasi inpositi turbinitae paruuli naturales,
valde friabiles, et hoc certe est aliquid singulare, rarum, et mira-
bile. In his ipsis fodinis argillaceis magna copia quoque eruuntur
Fig. VII. *globuli lapidei*, quorum superficies inaequalis est, et gibbosa, quos
si diffringes, intus adparebit fissura hians simplex, vel etiam cru-
cem figurans communem.

§. XXIIII.

§. XXIIII.

Ad hanc quoque classem referrimus duos lapides fulminares, vel *Ceraunites*, ob figuram, et propter credulitatem a vulgo sic habitos, cum potius fuerint instrumenta quaedam veterum vtensilia, et quando perforati, nihil aliud sunt, quam mallei bellici, Streithämmer / vel asciae militares, Streitäxte / quibus in bello Germani veteres vtebantur. Indicati ceraunitae sunt reperti ad pagum Steyerthal / in rupe agri, magnitudo eorum est mediocris, alterius vero non solitus, sed rarior color, cum plerumque alias sint vel nigricantes, vel cinerei, hic autem maculis tam albis, quam nigricantibus signatus. Neque dubito, quin Tibi, Fautori optimo, et Lectori beneuolo gratum sit futurum, quando hic loci renouo memoriam ceraunitis singularis, quem nostris olim palpauimus manibus, et cuius adumbrationem adhuc in scriniis nostris habemus sepositam, quemque possidebat rusticus quidam in praefectura Weferlingen Principatus Halberstadensis, a quo nec prece, nec pretio vllo impetrari poterat, firmiter enim sibi persuasum habebat, quamdiu lapis hic iam a maioribus acceptus retineretur in possessionibus, tamdiu a fulmine intactae forent; quae superstitio plurimis aliis insidet animis. Color eius erat nigricans, in medio fere perforatus, longitudo ipsum pedem adaequabat, crassities erat duos pollices, et denique pondus quatuor libras, et vndecim semuncias. His adiungimus *globos fulminares*, Donnerkugeln / a plebe falso sic putatos, de quibus similiter credit ac de ceraunitis, quod in aere generarentur, cum fulgure vero, et tonitru in terram demitterentur; horum duos possideo in proximis agris repertos; vnum et forma, et magnitudine comparo ouo gallinaceo, et est colore cinereo cum maculis puniceis; alterum ouo columbino, nec enim ouum ouo similius quidquam poterit esse, color huius adparet nigricans. Sunt vero nihil aliud quam silices, qui hanc formam oualem volutatione sunt forte adepti.

§. XXV.

Circa finem huius lucubratiunculae commemoro adhuc *lapidem scissilem* nigrum vel nigricantem, *cui* eleganter, et distincte *forma piscium* externa *inpressa*, qui diluuii vniuersalis testes modo maiores,

iores, modo minores, modo minimi, qualem asseruo, qui vix apuae magnitudine est; modo rectilinei, modo incuruati; modo vel lateri dextro, vel sinistro incumbentes, modo in dorso iacentes; modo sulphure obducti, vel quasi pyrite inaurati, adparent: magna copia extrahuntur ex fodinis aereis ad pagum Herrmannsacker/ ditionis Stolbergensis, plerumque diffracti incuria operariorum, etiam propter fissuras. Dendrites, hoc eodem loco reperiendos, indicare iam sufficiat, quia minus eleganter in lapide fissili cinereo sunt depicti.

Verum enim vero hac exoptata occasione transire non possum lucium incuruatum rarissimum, duos pedes longum, elegantissime lapidi scissili nigro inpressum, ex fodinis Mansfeldensibus, quem asseruatum vidi in collectione metallica rara, numerosa, curiosa, bene ordinata, pretiosa, facta ex omnibus terrae partibus, et notioribus metallifodinis Hercynicis, Saxonicis, Anglicanis, Noruegicis, Suecicis, Moscouiticis, Hungaricis, Turcicis, Indicis orientalibus, occidentalibus, reliquis, VIRI nobilissimi Schlüter / Decumani Goslariensium fodinarum communium, pro cuius humanitate mihi, Goslariam nuperrime peragranti, licebat, omnia et singula perlustrare; quam summam beneuolentiam animo adhuc agnosco gratissimo.

§. XXVI.

Ne vero, VIR CELEBERRIME, *Fautor honoratissime*, *Amice optime et dulcissime*, *Te* detineam diutius, vel Tibi prolixitate nimia sim molestus, vela contraho, votumque ad clausulam addo: iubeat supremum Dei numen, vt cum *Amantissimis Tuis*, *mihique carissimis*, vitam agas suauissime, viuas prosperrime; fortunet coepta *Tua* quaeque, quo supersis Patriae decus, et ornamentum reipublicae litterariae quam diutissime.

(o)


Fig: I.
II.
II.
III.
IV.
IV.
IV.
IV.
V.
V.
VI.
VI.
VI.
VII.
VII.
VII.
G.Schmidt ſc: